



## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies duodecimus, decimus tertius et decimus quartus continentur

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romae, 1868**

De SS. Evagrio, Prosiria Seu Proseria, Burro Et Donato Seu Donata  
Martyribus. In Syria.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71232)



**A** exstat inscripta, reliquæ sint. Quod si hæc, non tertiæ cujuspiam Anastasiæ, sed alterutrius e jam dictis esse, ab eruditis Siculis tempestive fuerimus edocti, de earumdem translatione, quam e Martyrologio Siculo et ecclesiæ Buterensis Mo-

numentis Ferrarius etiam in Catalogo generali hodie celebrat, agi apud nos poterit ad diem, vel qua prior e duabus illis Martyribus, in Opus nostrum inferetur, xxviii Octobris, vel qua de posteriori tractabitur, xxv Decembris.

## DE SS. EVAGRIO, PROSIRIA SEU PROSERIA, BURRO ET DONATO SEU DONATA MARTYRIBUS.

IN SYRIA.

AUCTORE  
C. B.  
B

Ex Hieronymianis apographis et aliis Fastis sacris.

SECCULO  
INCERTO.

Sanctos, in Hieronymianis tabulis hodie confusos, Castellanus in tres classes dividens,

**I**n Lucensi apud Florentinum Hieronymiano apographo sequentes hodie leguntur annuntiationes: In provincia Sirie sanctorum Evacri et Profini. In Egypto Eustasi presbyteri. In Campania civitate natalis sanctorum Eucaristi. Fortunati. Prisciani. Ab Hieronymiano isto apographo Hieronymianum apographum aliud, Corbeiense nempe, quod apud eundem Florentinum, itemque apud Dacherium, exstat, in eo fere dumtaxat differt, quod paulo aliter, quam illud, Sanctorum aliquot nomina efferens, in Campania præterea, vocabula civitate omisso, solos absque Prisciano Eucharistum et Fortunatum seu Fortunatam commemoret; verum a duobus jam dictis Hieronymianis apographis quam maxime discrepat vetustissimum, quod apud laudatum Florentinum pariter exstat, Antverpiense seu Epternacense Hieronymianum apographum: id enim sic habet: In Syria Eustati presbyteri et Eucaristi, Burri, Donatæ. Et in Campania Patra civitate Fortunatæ, Evagri et Proseriæ, Fortunati, Prisciani. Qui binas hæc annuntiationes cum annuntiationibus, quas alia duo mox laudata Hieronymiana apographa, Corbeiense videlicet et Lucense, suppeditant, contulerit, is certe, tabulas Hieronymianas hodie quam maxime esse turbatas, perspiciet. Castellanus, quo Sanctos in hisce confusos distinguat, hosce hodie in Martyrologio suo Universali, apposita in margine nota, in tres classes diversas partitur. Ac harum quidem priori, quam in Syria, SS. Evagrium et Proseriam martyres, secundæ, quam in Ægypto, S. Eustatium seu Eustachium presbyterum, ac tertiæ denique, quam in Campania collocat, SS. Eucharistum seu Evaristum et Fortunatum seu Fortunatam Martyres adscribit; verum an sic, quod voluit is martyrologus, assecutus sat feliciter est?

in horum posteriori Evaristum seu Eucharistum et Fortunatum,

2 Etsi SS. Carponius et Priscianus SS. Evaristo et Fortunata, uti ad xiv, quo de hisce agendum, mensis hujus diem dicenda monstrabunt, sint addendi, recte tamen, uti ex ibidem etiam allegan-

dis patescet, binos hosce postremos Sanctos in Campania, utpote eo e martyrii sui palæstra translatos, consignat Castellanus. In Palæstina quidem, quæ pro Syria parte a geographis habetur, Evaristus et Fortunata cum Prisciano sunt passi; verum hinc illos ad eandem, ad quam, qui in Syria passi, Evagrius et Proseria spectant, Martyrum classem certo spectare, argui non potest; unane enim cum hisce, an non, sanguinem pro Christo in Syria effuderint, est admodum dubium. Eucharistum quidem seu Evaristum Martyribus in Syria passis, Epternacense supra laudatum Hieronymianum apographum accenset; verum id in Campania quoque consignat Evagrius et Proseriam, quos tamen ibidem vel passos, vel, facta eorum ad regionem illam reliquiarum translatione, quiescere nemo dixerit. Ad hæc cum a veritate etiam, dum Hedistum, Ravennæ e dicendis passum, Romæ attribuit, aberret, fidem quoque, dum Evaristum, veluti una cum Martyribus, quos in Syria locat, pro fide occisum memorat, haud meretur.

3 Jam vero, cum sic habeat, est sane, cur Evaristum et Fortunatam ad aliam, quam ad quam Evagrius et Proseria spectant, Martyrum classem spectare, cum Castellano existimemus. Quod modo ad Eustachium seu Eustatium pertinet, hunc quoque non ad hanc spectare seu non in Syria, sed in Ægypto signandum esse, ea iis, quæ infra de eo, veluti de particularis classis Sancto, alleganda hac die sunt, studiosus lector intelliget. Nunc specialim magis ad Sanctos, supra in titulo propositos sermonem converto. Evagrium quidem et Proseriam Castellanus loco supra citato in Syria recte collocat; hosce enim ibidem Hieronymiana apographa supra laudata, si unum Epternacense, in quo perperam e dictis Campania attribuantur, exceperis, consignant, nec ut Martyrologio Romano hodierno, Evagrius et Priscianum eorumque, ut ait, socios, Romæ signanti, fidem adhibeam, laudatis a Galesino, utpote quæ ætatis ac fidei plane incertæ sint, Mss. moveri queo. At vero, etsi quidem recte e jam dictis

SS.

seu Fortunatam.

F in secunda Eustachium seu Eustatium, in prima Evagrius et Proseriam recte collocat;



A SS. Evagrium et Proseriam Syriæ Castellanus adscribat, nescio tamen, an nullos iis in martyrio socios fuisse adjunctos, recte affirmet.

verum hisce in martyrio socios haud recte, ut apparet, deneget.

4 Epternacense enim apud Florentinum Hieronymianum apographum, quod, dum vulgata Martyrologia unum alterumve Martyrem commemorant, horum etiam socios, nominatim in illis haud expressos, sæpenumero, ut Bollandus in generali sua Præfatione, tom. I Januarii præfata, pag. XLVI, col. 2 observavit, recenset, Burrum hodie et Donatam in Syria signat, idemque etiam, qui tamen pro Donata Donatum scribit, in Martyrologio suo Rabanus facit. Nec quidquam usquam invenio, quod impedire certo debeat, ne Burrus et Donatus seu Donata martyrium in Syria una cum SS. Evagrío et Proseria subiisse, credantur. Eustachium quidem seu Eustachium Syriæ Rabanus iuxta ac proxime laudatum Hieronymianum apographum perperam ex

infra dicendis adscribit; verum ratio, ob quam Eustachius in Syria subiisse martyrium haud videtur, ibidem quoque Burrum et Donatum seu Donatam passos non esse, haud probat. Res ex iis, quæ infra hac die de Eustachio seu Eustathio dicentur, elucescet. Ceterum cum non tantum in Corbeiensi Hieronymiano apographo, sed et in Appendice ad Adonem Prosyria seu Prosiria exaretur, nomine isthoc Sanctam, non vero Sanctum, qui Prosin (addi potest seu Prosyri aut Syri) nomen haberit, indicari, Florentinus in suis in codices Hieronymianos Notis opinatur; cumque ei hac in re re-fragandum haud videatur, nihilque præterea, quo vel amplius de SS. Evagrío, Prosiria, Burro et Donata seu Donato notitia subministrari, vel tempus, quo passi sunt, utcumque determinari possit, occurrat, longiorem de iis facere sermonem, minime est necesse.

AUCTORE  
C. B.

B

## DE S. EUSTACHIO SEU EUSTATHIO

AUT ETIAM EUSTASIO

PRESBYTERO VEROSIMILIUS MARTYRE

IN ÆGYPTO.

Ex Hieronymianis et aliis Fastis sacris.

E

C. B.

SEGULO  
INCERTO.

Eustachius  
qui, ut apparet,  
non Syriæ,

C

Sanctus hic propositus in Lucensi apud Florentinum Hieronymiano apographo, cui Corbeiense apud eundem Florentinum ad amussim fere consonat, Ægypto hodie adscribitur his verbis: In Ægypto Eustasi presbyteri; etsi autem in Epternacensi apud laudatum Florentinum Hieronymiano apographo Syriæ attribuitur, potius tamen duobus jam dictis, quæ Sanctum in Ægypto signant, Hieronymianis apographis, quam uni Epternacensi, quod eum in Syria collocat, standum apparet. Ea sedet sententia primo quidem, quod, cum Romæ Hedistum Campaniæque Evagrium et Proseriam perperam e supra dictis adscribat, loco pariter non suo id signare Eustachium, suspicari haud immerito possimus; deinde vero quod, cum plures hodie Sanctos idem Epternacense in Syria memoret, facile factum esse queat, ut hisce librarius, qui illud conscripsit, Eustachium seu Eustasium, etsi non ad Syriam, sed ad Ægyptum spectantem, annumerarit. Quid velim, dilucidius expono. Apud Marteneum tom. 3 Thesauri Anecdotorum col. 1547 et sequentibus exstat Martyrologium, sub Hieronymi nomine compactum ac a mille circiter annis, ut editor notat, conscriptum, in quo diebus singulis Sancti plures, loco, quo vel passi sint vel floruerint, non expresso, annuntiantur.

sed Ægypto  
adscribendus

2 Quid si igitur Hieronymianum Martyrologio isti simile apographum, in quo Burrus et Donatus seu Donata una cum Eustachio seu Eustasio, palæstra, qua pro fide certassent, non expressa, essent

notati, librario, qui ex antiquiori Hieronymiano apographo Epternacense transcripsit, prælexerit, hincque ille non modo Burrum et Donatum seu Donatam, quos in Hieronymiano apographo alio, sibi pariter prælucente, Syriæ adscribi videbat, sed et Eustachium seu Eustasium ad provinciam isthanc spectare autumans, re etiam ipsa eum ibidem una cum Burro et Donato seu Donata signaverit? Ita enim facile factum esse posse, ut a librario, qui Epternacense Hieronymianum apographum scripsit, Eustathius seu Eustasius, in Syria per errorem fuerit locatus, unusquisque, qui jam dicta attente expenderit, haud difficulter perspiciet. Jam vero, cum sic habeat, nec facile, ut librarii qui duo alia supra memorata Hieronymiana apographa scripsere, Eustasium in hisce Ægypto, si eum alibi in apographis aliis sibi prælucentibus signatum invenissent, adscriberent, futurum fuisse videatur, hinc simul et ob alia jam dicta re ipsa hunc Ægypto adscribendum, ac proin duobus supra laudatis, in quibus, ut dictum, ibidem signatur, Hieronymianis apographis standum, opinor.

3 Usuardus quidem Eustachium presbyterum in Syria hodie annuntiat; verum id illum ex aliquo Hieronymiano apographo, quod Epternacensi fuerit simile, fecisse, indubitatum, ut Sollerius in suis in Usuardum Observationibus hodie ait, apparet; cum autem sic habeat, hic sane Usuardi auctoritate, ut Eustachium seu Eustasium Syriæ attribuamus, moveri haud debemus, idemque de Martyrologio

F

pro martyre,